

P R O L O G U S.

animum appuli ad inquisitionem Methodi, quâ verus S. Literarum sensus erui, ac erutum esse demonstrari; & aliorum falsa interpretamenta detegi, ac istiusmodi esse, ostendi queat; atque hæc omnia quidem certò atque infallibiliter; non enim super arenam, sed petram ædificare animus erat Sacrosanctæ Theologiæ Palatium, & quidem ità, ut quando descendit nimbus, veniunt flumina, & flant venti, inque nostrum incidunt irruuntque ædificium, illud non corruat, non cadat, neque vacillet, sed inconcussum ac stabile permaneat, atque omnes aëris injurias, inimicorumque insultus atque impetus impavidè expectet, atque aspernetur. Consului itaque omnis generis, omnium locorum atque seculorum Theologos, perpendi quidnam illi de S. Literas interpretandi Methodò stant, investigavi, quamnam ipsi expositionis normam adhibeant; At nihil, quod animo meo plenè satisfaceret, invenire potui. Unde relictis omnibus illis, quid proprio Marte possem, & quousque vires pertingerent meæ, periculum facere libuit; ac tandem post arduam operosamque disquisitionem in hanc incidi, cui plenissimè acquiesco, quam certam esse atque infallibilem nullus dubito, quamque publico Theologorum examini in præsentiam expono, quodnam de eâ iudicium ferent experturus, atque expectaturus.

Auctor itaque sum omnibus singulisque Lectoribus meis, ut cuncta, quæ hoc tractatulo orbi Theologico imus propositum, accuratè ac diligenter inspiciant atque excutiant, rigidissimo examini subjiciant, ac ad indubitatae Veritatis trutinam appendant atque expendant, ut illam mecum agnoscant & profiteantur, si bene rem gesserò, sin secus, mecum non errent; non enim mihi

Solamen misero socios habuisse malorum, utpote cui erranti à non errantibus rectam viam monstrari unicè in votis est. Unde non concinnitate vocum, non ornatâ compositione verborum, non flosculis ac pigmentis Oratorum
te,